



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem  
Partes Brevis Ac Lvcv lenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

**Veken, Frans van der**

**Coloniae, 1644**

§ 4. De sumptione Sanguinis Christi

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9878**

Simul diuino igne cor succenditur, vt  
illustrationi mentis affectus respōdeat.  
Si Seraphico Doctore a, vti par est, cre-  
dimus, nullam refectionem spirituales  
post Communionem sentire, *signum est*  
*spiritualis infirmitatis vel mortis: Ignem*  
*posuisti in sinu, & non sentis calorem;*  
*mel in ore, & non sentis dulcedinem?*

§. IV.

*De sumptione Sanguinis Christi.*

**S**atis constat, non posse nos DEO  
spares vnquam gratias referre: non  
solum propter beneficiorum eius ma-  
gnitudinem; sed etiam quod exhibere  
se gratum pro beneficijs diuinis sicuti  
nouum virtutis est opus, ita nouum Dei  
donum beneficiumq; existat. Crescunt  
igitur nomina apud Deum contracta,  
dum ea conamur dissoluere, & vbi  
beneficijs acceptis respondere grati-  
tudine nitimur: hoc ipsum saltem

I §

præ-

a S. Bonau. de Præp. Miss. c. 14.

præterimus, quod in ea voluntate, si recta, honestaq; fuerit, nobis Deus largitur. Quod probè sciens Regius Vates, cùm præclara beneficia in gentem Hebræorum à Deo collata commemorasset: *Confiteantur, inquit a, Domino misericordie eius, & mirabilia eius filiis hominum.* Vox *confiteantur* apud doctos Interpretes idem sonat, quod laudent, celebrent, gratias agant. Propheeta igitur alium gratitudinis modum impossibilem agnoscens, Dei miserationes, beneficiaq; inuitat, vt ipsa pro se gratiarum officium obeant, pro prioribus sequentia, pro veteribus noua, atque ea tandem, quæ postremo data sunt loco, pro seipsis eo munere perfungantur.

Huc respiciens Ecclesia, Sacerdoti, si vnquam, iam sanè quàm maximè ad gratitudinem obligato, similem eius modum præscribit: vt, cùm nesciat, quid pro pretiosissimo Christi Corpore,

a Psal. 106.

re, non solum in Sacrificium, sed etiam in cibum sibi dato, in gratiarum actionem Deo reddat, paræ valoris offerat Sanguinem: hinc verò cum aliud vicarium sui donum & æquale non habeat, veluti pro seipso confiteatur DEO, suoq; pretio infinitam eius misericordiam ac bonitatem commendans, maiori eam clamore in cœlum, quàm Abeli sanguis vindictam extollat. In quæ sensum facile aptabitur, quod interim ex hymno Dauidico à Sacerdote recitatur *a: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini innocabo.*

Additur versiculus ex alio Psalmo *b: Laudans innocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.* Cuius postrema parte explicatur singularis huius Sanguinis virtus, qua dæmones cæterosq; spirituales hostes procul fugat: non eo tantum nomine, quod sit Christi Sanguis,

*a Psal. 115. b Psal. 17.*

guis, sed etiam quod partam in Cruce de iisdem victoriam, modo sæpius dicto repræsentet. Ita olim à Dauide a prædictum: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me,* & in Agni Paschalis Sanguine adumbratum, quo tinctos postes percussor Angelus præteribat b.

Simili tandem ritu, formulaque, quibus Christi Corpus, sumitur eius Sanguis: in vnum iam Calicem collectus, qui per tot tamque acerba vulnera pro salute nostra in Passione profluxit. Rogare Deum poterit Sacerdos, vt cum hoc Sanguine potentissimè in se influat diuinus amor: ex quo suum quoque pro eiusdem honore aliquando fundat Sanguinem; aut alium certè Calicem, quem diuina prouidentia miscuerit, quantumuis amarum, promptissimè exhauriat.

Sequuntur duæ Orationes, quarum primâ petitur, vt quod secundùm species

a Psal. 22. b Exod. 12.

cies ore corporeo sumimus, purâ mente recipiamus, quoad gratiam & alios spirituales effectus: alterâ vt dona accepta in nobis permaneant, & nouum incrementum quotidie sumant. Idque *adherendo* intimis animæ visceribus siue potentijs: nimirum sanctis semper cogitationibus illuminando intellectum, pijs affectibus voluntatem accendendo, memoriam denique diuinorum beneficiorum perenni recollectione occupando. Cumque hic finiatur Sacerdotalis Communio, Opusculo quoque præsentis finem impono, rogans Deum oratione, quam post Communionem præscribit Ecclesia, Dominicâ tertiâ post Epiphaniam: *Vt quos tantis largitur uti mysterijs, affectibus nos eorum veraciter aptare dignetur.*